



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

32. Credendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

3. Vtrum sponsa per vim oppressa ante bimestre possit semen expellere? De femina, que non à sponso vim passa est, affirmat Doctor posse incontinenti; sed postea, post possessionem pacificam vasis, negat. De sponsa autem à sponso per vim cognita non audet affirmare, & manet dubius, *l. 2. disp. 22. n. 17.*

Credendum.

1. Credendum est in vtroque foro promittenti matrimonium dicenti se reuocasse consensum, si alter statim non repromittat, *lib. 1. disp. 5. n. 14.*

2. Afferenti se non promissurum, si à principio talis causa abesset, credendum est in vtroque foro, si iudicio prudentis, consideratis negotij circumstantijs, verisimile sit non promissurum, si illam præcogitasset, *lib. 1. disp. 62. num. 6.*

3. Credendum est sponso dicenti, se accessisse ad sponsam, & non consummasse, nec feminasse in foro conscientiarum: secus dicendum in foro externo, *lib. 2. disp. 21. nu. 8.*

4. Quando sponsus vterque confiteretur, se non consummasse illis non credendum est, si sponsa non erat virgo, & domum sibi traducta est. Secus, si traducta non sit, & si erat virgo aspecta talis appareat, licet domum sponsi traducta sit, *lib. 2. disp. 23. n. 1. & 2.*

5. Credendum est iuramento coniugis dicentis, se credidisse esse suum coniugem eum, cum quo copulam habuit habito respectu ad

eius honestatem, & alias probabiles coniecturas, *lib. 10. disp. 5. n. 17.*

6 Credendum non est in foro externo iuramento dicentis, se vouisse castitatem absque alia probatione, *lib. 10. disp. 10. n. 17.*

7 Credendum non est in foro externo professo dicenti, siue iuranti, se fictè professum, vel noluisse intra quinquèniū ratificare professionem. Poterit tamen superior in foro cōscientiæ illi credere attentis circumstantijs, & clam expellere, *lib. 7. disp. 37. n. 14.*

8 Credendum non est in foro externo habentibus copulam, & negantibus, semen esse emissum: secus in foro interno, *lib. 7. disput. 64. num. 9.*

9 Credendum non est in foro externo dicentis, se habere commissionem ad dispensandum, vel faciendum aliud, licet sit Cardinalis legatus. Secus, quando est persona constituta in excelsa dignitate, & in nullius præiudiciū est, vt ex facultate dispensandi, absoluendi, & concedendi indulgentias. Vnde credendum est Episcopo dicenti, se alienum subditum cū licentia promouisse, vel literis summi pœnitentiæ dicentis, sibi viuæ vocis oraculo cōmissum esse, vt dispense in aliquo casu Pontifici referuato. In foro tamen interiori cuiusque vito timorato ac confessori dicenti sibi delegatam esse potestatem ad absoluendum, vel dispensandum credendum est, *lib. 8. disp. 17. à n. 17. vsque ad 22.*